

mensurandæ non fuerint ex genere per se terminatorum quantorum, apprehendimus & definimus. Quæ propterea in quavis bene constitutâ Rep. sub certâ materiâ statui semper & asservari solet.

§. 5. *Respective* definimus atque exprimimus quantitatem exercitè spectatam (quod plerumque fieri solet) rem, de quâ quæritur quanta sit? tanquam ignotam referendo ad aliam sibi similem & notiores, tanquam ad mensuram, & exprimendo *rationem æqualitatis aut inæqualitatis*, quam æstimanda res cum illâ suâ mensurâ habet. Licet enim alteri æquale vel tam inæquale esse formalem rationem quantitatis absolute non constituat, cum res tanta præcisè sit, per suam ipsius formalitatem, non per alienam, imo etiam si nunquam ab alio vel æquali vel tam inæquali mensuretur: quia tamen æquale aut inæquale esse quantitati maxime proprium est, ut Aristoteles loquitur, ipsamque determinatam rationem satis clare innuit, eamque respectu quodam faciliat, ut ab humano intellectu tanto expeditius inveniri pariter & concipi possit; igitur non immeritò acquiescimus, si prædicati alicujus determinatam rationem h. e. quantitatem, quam absolute concipere raro licet, saltem *respective* concipiendam obtinemus, per certam æqualitatis aut inæqualitatis rationem.

§. 6. Est enim æqualitas nihil aliud, quàm *similitudo summa*, inæqualitas vero *similitudo remissior*, & tanta quidem inæqualitas est similitudo certo gradu remissior. V. g. sicuti pannus & ulna secundum longitudinem (*lapis & uncia secundum gravitatem*) indeterminate spectata nude dicuntur similia; ita determinate spectata vel Summe, Similia sunt, quatenus pannus (*lapis*) tantum præcisè nec plus nec minus